

96 F 791

96



H

152

E

VI
D N

ME
E

OM

42.89573

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

HAEMORRHOIDIBVS VESICAE

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO,
ET CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSI
ORDINIS MEDICI,

PRÆSIDE,

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. JOANNE JVNCKERO,

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBL. ORD. PRACTICO ORPHANOTROPH. ET PAEDA-
GOGII REGII FELICISSIMO,

FAVTORE PRAECEPTORE,
OMNI DEBITO AC RELIGIOSO PIETATIS CVLTV
AD CINERES DEVENERANDO,

PRO GRADV DOCTORIS,

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS,

AD DIEM XXIII. SEPT. MDCCXLVII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR RESPONDENS

GODOFREDVS GVILHELMVS HAGEN

BILEFELDA-GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI Acad. TYPOGR.

*Speci: XXIV / 2586
J. J. J. J.*





96 F 791

AK



PROOEMIUM.



aud immerito æui nostri Medici
illam mouerunt quæstionem,
qui fiat, vt hæmorrhoides, &
inde nascentes paralleli adfectus,
frequentiores sint nostris, rario-
res, ni rarissimæ fuerint superio-
bus temporibus? Certo certius est, quod na-
tura motibus hæmorrhagicis æque ac actu
contingentibus hæmorrhagiis supersedere
possit, si naturæ legibus sese exacte ad-
stringant homines. Profecto! huius census
morbi non humiles habitant casas eorum,
qui-

quibus mensa tripes cum concha salis, qui atro & grosso pane, & iure nigro vescuntur, quibusue vitæ genus laboriosum auertendorum morborum præsidium est; sed hospitium sibi in aulis Principum deligunt, diuitum accumbunt mensis, iisque comites se adiungunt indiuiduos, quibus viuendi causa in palato est, **IVVENALIS**. Incumbit sæuior armis luxuria. Addidere viuendi pretia deliciae, inquit **PLINIUS**, iam suo tempore, luxusque, nunquam fuit cupido vitæ maior, nec minor cura, *lib. 22. cap. 6.* cum tamen cernamus negligi ea, quæ ad valetudinem conseruandam pertinent. Non meo fisis ingenio testem huius phœnomeni laudo Virum Summum, **HOFFMANNVM**. „Mea sententia, inquitem, culpa potissimum reiicienda in vitæ genus, ex operoso & laborioso, ob perditos hominum mores, in desidiosum ac otiosum mutatum, quo non solum maior, quam par est, sanguinis copia ingignitur, sed etiam ipsum corporis robur languescit, vt non mirum sit, effeminato corpori femineum quoque accidere sanguinis fluxum, *Med. Syst. T. III. Sect. I. Cap. IX. §. XIII.* Subiungit Vir laudatissimus adhuc bigam rationum, quas

quas lubens prætereo, commemoraturus, quod diu in animo volutarim, quale Thema in Specimen Exercitationis Academicæ seligendum sit. Tandem iussu ILL. PRAESIDIS illud de *hemorrhoidibus vesicae* tanquam *insolita hemorrhoidum via*, in me suscepi elaborandum. Intolita id indolis sunt, vt haud vulgariter de iis tractetur. Et sic vereor, ne vulgaria insolitis accommodem. Hinc suppleat Lectoris beneuolentia, sicubi meum ingenium defecisse intellexerit. Iacta esto alea! Faxit DEus feliciter!

§. I.

Hemorrhoides vesicae sunt actus naturæ, quo sanguinem superfluum & molestum, per loca hemorrhoidalia & sedalia antea excerni solitum, actu vicario per vasa vesicae urinariae, & ipsius sphincteris excernit.

§. II.

Cum difficultas quædam in titulo Dissertationis herere videatur, ante omnia consilii erit, illius reddere rationem; ne fortan alii, quod facile futurum præuideo, caperato supercilio me pruritus nouaturientis ingenii, aut fingendi refingendique noua quæcunque incusent: quo facto facile in gratiam mecum redibunt.

A 3

§. III.

§. III.

Ex *Historia pathologico-medica* constat, quod *hic loquendi modus antiquitati medica in ore, & perquam familiaris fuerit*. Sic enim HIPPOCRATES *Prorbet. L. II. §. 36. text. 18.* sub *hæmorrhoidibus*, sensu generico, *quemcunque sanguinis fluxum* intelligit; deinde sensu HIPPOCRATICO $\Phi\lambda\epsilon\psi$ $\alpha\iota\mu\omicron\gamma\gamma\omicron\upsilon\varsigma$, seu $\alpha\iota\mu\omicron\gamma\gamma\omicron\upsilon\varsigma$ nil aliud denotat, quam *venam aut arteriam quamcunque, quæ sanguinem eructat; conf. FOESIVS;* ita vt $\alpha\iota\mu\omicron\gamma\gamma\omicron\upsilon\varsigma\iota\delta\alpha$, seu $\alpha\iota\mu\omicron\gamma\gamma\omicron\upsilon\varsigma\iota\delta\epsilon\varsigma$ ceu genus vasorum constituerint, quæ sanguinem euomunt. Sic etiam TRINCAVELLVS *omnes hæmorrhagias*, siue sanguinis profluvia, cuiuscunque sint generis, & ex quocunque loco prorumpant, *sub nomine hæmorrhoidum complectitur, vid. Libr. 9. de curandi rat. part. corp. hum. affect. 14.* Nec infrequens est loquendi mos propioris æui Medicis. Cæl. AVRELIANVS *Libr. V. tard. passion. cap. 4.* hæc habet; *solent, sicut in podice, vel seminarium sinu aut matricis collo, etiam in vesica hæmorrhoides generari, que fluorem sanguinis præstant.* MARC. AVR. SEVERINVS *de recondita abscess. natura, p. 290.* hæmorrhagiam narium, hæmorrhoides narium vocat. MERCVRIAL. *Prax. lib. III. c. 31.* SENNERT. *Institut. l. 3. part. 1. Sect. III. c. 5.* mictum cruentum hæmorrhoides renum vocant. *Hæmorrhoides uteri* recensent A. N. C. *Dec. II. ann. 10.* Cum itaque hi Celeberrimi Autores exemplum præiuerint, quis mihi vicio vertat, si hanc excretionis sanguinis speciem, ex vasis vesicæ, & illius sphincteris contingentem, nomine hæmorrhoidum vesicæ insignierim, cum tamen nil aliud sit, quam

quam vicaria hæmorrhoidum excretio, & insolita hæmorrhoidum via, vti ex infra dicendis clarius patebit. Et cum bene distinguere sit bene docere, satius ni fallor, fuisset, si Medici hæmorrhagias hæmorrhoidum vicarias proprio nomine insigniuerint, ita vt hæmorrhagiam ex ruptis renum vasis, ob suppressas hæmorrhoides contingentem, hæmorrhoides renum, hæmorrhagiam vteri, obstructis hæmorrhoidibus fæminarum, hæmorrhoides vteri, &c. sicque hæmorrhagiam vesicæ, si nimirum hæmorrhoidum vices sustinet, hæmorrhoides vesicæ appellauerint.

§. IV.

Quod vero hæc sanguinis excretio *specialem* mereatur *denominationem*, & nomine sibi proprio designanda, ex *differentia* liquido adparebit.

§. V.

Differunt itaque *hæmorrhoides vesicæ*

1) *a mictu cruento*. Huic differentiæ explicandæ paulo diutius immorari fas est, cum vno ore omnes clamitent, quod hæmorrhoides vesicæ non alia ratione a mictu cruento differant, quam solo nomine, hinc vnum alteri, ceu synonymum substitui possit. Et quidem differunt

a) *ratione loci*. In *mictu cruento* sanguis e ruptis renum vasculis elabitur, & in peluim elapsus descendit per vretes in cauum vesicæ. In *hæmorrhoidibus vesicæ* vascula membranarum vesicæ, eiusque sphincteris, cruorem exstillant. Multa peccarunt in hoc Veteres, quod hæmorrhoides vesicæ & mictum cruentum

tum a se inuicem haud distinxerint. Dubii enim hærebant, an & quando mictus sanguinis vel e corpore renum, vel vesica exoriatur. Hinc & ipse HIPPOCRATES mox renes, mox vesicam accusat, vti etiam MERCVRIALIS, RIVERIVS, LOMMIVS, HEVRNIVS, BONETVS id faciunt. Exinde simul patet, quod excretioni sanguinis, siue e renibus, siue vesica contingenti, vnum idemque nomen imposuerint. Eadem peccant Recentiores, qui hæmorrhoides vesicæ, ceu peculiarem affectum, & mictum cruentum, vnum idemque habent.

b) ratione vasorum; *Vid. infr. §. X.*

c) ratione dolorum. In hæmorrhoidibus vesicæ ægri non solum ardorem in regione pubis, & grauissimum, pressorium dolorem sub mictione sentiunt, ita vt lipothymici insultus, trahendi spiritus difficultas, status mentis inquietus, conatus vomendi, frigidus sudor, pulsus debilis simul coniungantur. E contrario in mictu cruento sanguinis e vesica profluum sine dolore succedit. Causa haud e longinquo arcessenda venit. Cruentatæ Anatomicorum manus structuram renum ita constitutam esse tradunt, vt exquisiti sensus haud capax esse possit. Cum vero vesica inter alias tunicas, etiam tunica neruea instructa sit, non potest non fieri, quin a sanguine per illam viam adfectante, exituro, dolor exquisitissimus excitetur.

d) ra-

- d) ratione sanguinis mictu redditi. In hæmorrhoidibus vesicæ parcior sanguinis quantitas exstillat; in mictu cruento confertim proruit. In illis sanguis coloris ex atro-rubentis, in hoc coloris purpurei est.
- 2) differunt porro hæmorrhoides vesicæ ab illa mictione cruenta, quæ pro causa agnoscit calculum asperiolem, qui viam per vreteres moliendo, eorum venulas dilacerat, vt dein sanguis, licet pauca quantitate, proluciat.
 - 3) ab vrina, aut vrinae sedimento sanguinem mentiente. Sic enim ex semeiologia & vrosopia constat, quod in passione hysterica, colicis cruciatibus, hæmorrhoidum ataxiis, febribus, talis colorata reddatur vrina, quæ sanguini æmula est.
 - 4) a seminis fluxu cruento. Constat enim ex Pathologia gonorrhoeæ, quod vasa prostatica vel atonia adfecta, vel materiae acrimonia corrosa, per hiantia oscula sanguinem fundant, qui per interualla, citra vrinae fluxum, per vrethram exstillat.
 - 5) a mictu sanguinis in variolis eueniente; vid. SYDENH. Op. Sect. III. Cap. II. de variolis. HOFFMANNI Med. Syst. T. IV. P. II. Sect. I. Cap. VI. §. XIV.
 - 6) ab illo sanguinis stillicidio, quod fit per membri virilis integumenta, vbi ex ipso pene sanguis purus excernitur. Præstant hanc sanguinis excretionem furculi venæ hæmorrhoidalis externæ, quos impertit etiam partibus genitalibus. Casus quosdam huius sanguinis stillicidii
- B
- collegit

collegit STALPART van der WIEL, *Cent. I. Obs. LXXX.* Signa illius prænuucia sunt tenuius in inguine dolor. Conf. HOFFMANN. l. mox a. §. VI. qui etiam aliquoties illius exempla in praxi annotauit.

7) a *mictu sanguinolento a causis violentis externis inducto*, quæ variæ esse possunt. Sic ille proritari potest medicamentis, si ad complacanda tormenta colica, remedia acriora, volatilia diuretica, lithonriptica in usum vocantur; in eundem effectum conspirant acriora purgantia, drastica, cathartica; porro eiusdem census sunt cantharides, aphrodisiaca, vsus veneris immodicus, vti in *obseruatoribus* eiusmodi casus prostant, vt: *mictus cruentus ab abusiva assumptione myrrhe prouocatus*, *A. N. C. Dec. II. an. 8. obs. 121.* Sic itidem prostant casus de mictu cruento ab immodica equitatione, a partu difficili, a nimia pollutione nocturna, a nimis frequenti feminis eiaculatione, cet. conf. ILL. ALBERTI *Diss. de mict. cruent.* Eiusdem effectus sunt aliæ adhuc causæ violentæ, vt violenta abdominis contusio, calcitratio, compressio, lapsus in terram, eleuatio, & gestatio onerum, luxatio vertebrarum, &c. Et cum hæ recensitæ sanguinis euacuationes vicem hæmorrhoidum per insolitas vias sustinere haud possint, hinc merito a nostris hæmorrhoidibus vesicæ distinguuntur.

§. VI.

Progredior ad *subiecta*. Sunt plethorici; præsertim vero *senes*. Non exsuccii, & qui pendula circum-

cumferunt membra, vbi iam longa coitus obliuio. Sed quoad habitum, spongiosi, succipleni; quoad actiones corporis, virium robore, animi alacritate pollentes, quoad vitæ genus, otio immerfi, plena diæta fruentes, omnia in gulæ voluptatem vertentes, qui poculis strenui irriguam Baccho soluunt mentem, qui porro molimina hæmorrhoidalialia, aut hæmorrhoides experti fuere; his accensendi, qui equum immodice sedent. Viri præ feminis. Ex feminis eæ, quæ plethoricæ sunt; præsertim quæ iuuenes hæmorrhagiis narium adsueta, largumque catameniorum fluxum expertæ fuerunt; porro quæ vita voluptuosa fruuntur, patheticis commotionibus fræna laxant; quæ adhuc porro aut moliminibus hæmorrhoidalibus expositæ fuerunt, aut in hæmorrhoidales profusiones inclinarunt; quibus menses aut suppressi sunt, aut per ætatis rationem cessant, neglectis insimul sanguinis ventilationibus antea adfuetis.

§. VII.

Semeiotice hæmorrhoidum vesicæ sequentia signa huius mali tradit: In quibusdam subiectis, paucissimis tamen, notabilem doloris sensum non inferunt. Vt plurimum prodromi & comites sunt dolores circa pubem tensorii, spastici, pressorii, grauatiui, oppleorpii versus inguina etiam excurrentes; præsertim ardoris sensus circa ceruicem, & sphincterem vesicæ, perinei regionem simul adficiens, imo pungens, ardens, scindens in glande dolor percipitur; perpetuus ad matulam stimulus est; intercurrunt tenesmodæ molestiæ; alijs est suppressa. In

reliquo corpore sentiuntur horripilatio, insolitus membrorum languor; tenet animum morositas, pulsus est durus & frequentior. Tandem orificiis vasorum velicæ, ipsius ceruicis, & sphincteris dehiscen-
tibus, sequitur hanc motuum molestissimorum tra-
goediam sanguinis per vrethram excretio, diutius,
breuius durans, quantitate differens, post aliquas in-
ducias recidua. Sanguis ipse non quidem colorem na-
turalem perdidit, interdum tamen colorem lateritium
ab urinae falsedine contractum refert; vel congru-
mescit, & ita, vt interdum grumi oblongi ex vrethra
extracti vermiculari figura illudentes imperitis im-
ponere possint.

§. IIX.

Accedo ad *causarum scrutinium*. Offerunt se
1) *causa materiales*. Est status plethoricus in ge-
nere, vt & plethora commota. Inter specialio-
res causas in adfectu nostro primicerium ducit
negotium hæmorrhoidale in vtriusque sexus
subiectis, si nimirum antea consuetum, ex qua-
cunque etiam causa, siue per ætatis rationem,
vel turbatum, vel suppressum fuerit. In sæmi-
nis præterea causam huius mali præbet nego-
tium mensium, si graues patiatur defectus, si
nimirum itidem vel turbatum, imminutum,
vel suppressum fuerit, aut per ætatis rationem
cesserit. Hisce causis adnumeranda sunt ea, quæ
§. VI. sub recensione subiectorum commemo-
rata fuerunt.

§. IX.

Deinde 2) *causa formalis*, quam motus hæmor-
rhagici

rhagici constituunt: quibus explicandis paulo longius immorandi animus esto. Quam legem immutabilem diuinum artificium in machina animali fanciuit, nimirum sanguinis circulationem, natura microcosmica sequi indefesso studet. Cum vero hæc circulatio æquilibrio fluida inter & solida nitatur, & plethora, solidorum modum superans, æquilibrium illud tollat, hinc eadem natura, prouidentissimo consilio in sui corporis bonum, emissaria sibi varia parauit, quibus se onere superflui & molesti sanguinis leuat. Hæc inter, præsertim in sexu potiori, sunt vasa hæmorrhoidalia. Hæc itaque sanguinis superflui & molesti excernendi species maxime solennis, solita, & quasi regia sanguinis excernendi via est; hinc tantæ considerationis medicæ omni tempore fuit, vt bibliotheculam solum librorum, Dissertationum, de hæmorrhoidibus tractantium quis componere possit. Si itaque naturæ in hoc negotio expediundo obstacula obiiciantur, quo minus finem sanguinis per loca hæmorrhoidalia excernendi consequi possit, illum ad alia loca, quæ præsertim nexum inter se inuicem habent, *vid. infr.* transfert, quæ insolitæ hæmorrhoidum viæ medicis audiunt. Sic sanguis hæmorrhoidalis in solitis locis exitu præclusus vel ad caput defertur, ibique mania, melancholia, vel etiam apoplexiæ causa existit. Idem iamiam HIPPOCRATES obseruauit: *ex hæmorrhoidibus, iniquiens, parum apparente, vertigines obortæ, paraplegiam significant, Coac. Prænot. Text. 246.* Vel mediam cavitatem impetens, asthmaticos insulsus,

hæmoptoen fuscitat. Intra ventriculi membranas decubens vomitum inducit. Hepar adiens, scirrhos inducit; ad tractum intestinorum concedens, pathemata hypochondriaca, hysterica, cruciatus colicos concitat; renum viscus occupans, nephritidem, calculum, mictum cruentum progignit. Imo, ne extimis quidem corporis partibus parcit. Sic varicum drama ludit, vid. STAHL. *Diff. de podagra*; vel ischiadicis, podagricis, arthriticis vagis, gonagricis insulibus eiusmodi subiecta diuexat.

§. X.

Inter has *metastases*, & *insolitas hæmorrhoidum vias* eminent illa, de qua in præsentî tractatione sub *hæmorrhoidum vesicæ* nomine agitur. *Nubes obseruatorum* allegari possit, qui probant, quod sanguinis ex vesicæ vasis contingens excretio, (cui vero indistinctum nomen mictus cruenti imponunt,) vices hæmorrhoidum suppleat, vt HEVRNIVS *Commentar. Sect. IV. Aph. 75.* FORESTVS *lib. 24. Obs. 9.* HILDANVS *cent. 2. obs. XI.* STAHLIVS *Patbol. sub mictu cruento*; RIVERIVS *L. VI. c. 13.* HOCHSTETT. *Dec. I. Cas. 2. Schol. fundit sæpius, ait, hæmorrhoids externa sanguinem in vesicam, vt absque vitio renum mingatur, quod in nobili quodam licuit videre*; HOEFFERVS *in Herc. Med. L. 3. c. 4.* HOLLERIVS *de morb. intern. SCHENCKIVS L. 3. obs. J.* ARETAEVS *L. 4. c. 3.* PLATERVS, SENNERTVS, WEDELIVS *Prax. clin. L. 3. Cas. 40.* HOFFMANN. *Med. Syst. T. 4. Part. 2. Sect. 1. Cap. 6. §. 11X. & ibid. obs. V.* ALBERTI *Diff. de mict. cruent.* IVNCKERVS alii.

§. XI

§. XI.

Ex Anatomia itaque faciem prælucente repetendum, qualis intercedat *nexus vasa* inter hæmorrhoidalia, & vesicæ. Nimirum ex systemate venarum constat, quod ex iliaticis prodeat hypogastrica, quæ interdum duplex, vid. KEILL'S *Anatomy of human Body, Chapt. VII. Sect. XI. p. 357.* ex hac furculi abeunt ad intestinum rectum, & anum, qui vena hæmorrhoidalis externa audiunt, & alii ad vesicam, illiusque sphincterem tendunt. Sunt, qui probare contendunt, quod hæmorrhoidalis interna ramulos etiam spargat ad vesicam, quos inter *Verbeyn* est, sed secundum HOFFMANNVM nostrum, eiusmodi ramulos hæmorrhoidalis internæ ad vesicam excurrentes Anatomicus huc vsque vidit nullus, vid. *Ei. Med. Syst. T. IV. Part. II. Sect. I. Cap. VI. de hæmorrhagia ex trinariis viis, §. IIX. p. 135.*

§. XII.

Haud subeat miratio, quare natura sui corporis salutis consultura, *insolitas*, non tamen indiscriminatim quascunque, sed determinate has vel illas vias hæmorrhoidum vicarias, & sic etiam *hanc*, de qua hic loci sermo est, sibi eligat. Prouocat schola mechanica ad necessitatem fiendi mechanicam. In scenam producit *acrimonias corrosiuam, vasorum turgescationem*, nec non *motus spasmodicos*; deinde allegat *vasorum cohesionem*; postmodum vrget *perpendicularem vesicæ*, ipsorumque vasorum in ea reptantium *situm*, consequenter tardiores sanguinis redudis in his venis regressum; sique in vasis hæmorrhoidibus externis sanguis stagnet, non aliter fieri possit,

possit, quin vi huius vasorum cohæisionis, vascula vesicæ & sphincteris sanguine nimio farta, tandem rupturam patiantur. Nullus inficior, quod hæc momenta secundum nexum materiale considerata, veritati respondeant. Cum vero hæc sanguinis translationes motibus pendeant, motus autem altioris principii ministerio subiaceant, hinc in materiali respectu acquiescendum haud est. Etenim secundum Psychologismum medicum, iam longe demonstratum est, quod natura omnium in corpore motuum ad vitam & sanitatem collineantium, causa existat; cum itaque talis vicariæ excretionis actus motibus absoluitur, & iisdem motibus, quibus alias in ordinariis & solitis viis, talis excretio absoluitur, manifesto sequitur, ut etiam eadem potentia gaudeat, motu congestorio, sanguinem hæmorrhoidalem per solita loca excerni suetum, in insolita loca transferendi, congerendi, ibidemque excernendi. Et sic etiam eundem sanguinis per hæmorrhoides excerni soliti, nunc per hunc locum excernendi finem consequitur, consequenter onere molesti, & superflui sanguinis, & inde nascentium adfectuum leuatur. Sicque porro destinato consilio, hanc sanguinis hæmorrhoidalis excernendi viam seligit, nimirum ob partium consensum, quem inter se inuicem habent. Cum enim hypogastrica sanguinem refluxum ex hæmorrhoidali externa æque ac venulis vesicæ capulet, hinc natura, hæmorrhoidibus externis, ob has vel illas remoras ad exitum non pertingentibus, ob loci vicinitatem, & venarum comæatum, symbolismum, intra vesicam, & sphincterem ipsius sanguinem hæmorrhoidalem transfert.

§. XIII.

§. XIII.

Sed *salutaris intentio*, & *sinister euentus male coherent*. Eum in finem, inquit, a natura hæc metastases sanguinis hæmorrhoidalis, tales motus hæmorrhagici in insolitis viis suscipiuntur, vt sanguinis copiam, quæ ipsi oneri est, minuat. *Resp.* Licet hæmorrhoidum vesicæ salubritas rarior sit, tamen prostant exempla, quod salutarem euentum consecutæ fuerint. Quod vero non semper intentioni respondeat euentus, variæ subesse possunt causæ, quas inter est, quod actum tantum vicarium constituent; deinde cum secundum superiora, hæmorrhoidum vesicæ subiecta sint præsertim senes, hinc ætas locum inter causas tenet, & quidem senilis, quæ moraliter considerata, ob sui contumaciam, huic actui vicario excretorio obicem ponit; deinde physice considerata, partium textura nunc minus eluctatoriis, excretoriis motibus obsequiosa est, hinc eo facilius defectus patiuntur; hinc itidem fit, vt dolores pressorios, tensorios, oppletorios, ardentis, spastico-excretorios, prodromos, comites & pedissequas habeat.

§. XIV.

Insuper notatu dignum est, quod hæmorrhoides vesicæ *periodicos* interdum *seruent recursus*, hac præterea ratione, vt initium recursus respondeat tempori, quo antea hæmorrhoides fluxerunt, aut molimina hæmorrhoidalia ægri experti sunt. In feminis etiam hæmorrhoides vesicæ statis vicibus interdum redeunt, & menstruæ sunt, luculento indi-

C

cio

cio, quod cum mensium periodo coincidunt, Deinde rariores sunt, non tamen rarissima.

§. XV.

Restat *prognosis*. In genere circa insolitas excretionum sanguinearum vias, experientia & rationum calculo, obseruandum, quod plus mali, quam boni portendant. Solitæ excretionum sanguinearum viæ vtpurimum bonæ indolis sunt ratione decursus, & effectuum, & præfinitum sanguinis imminuendi effectum. Insolitæ & vicariæ earundem viæ omnia habent contraria. In hunc censum veniunt nostræ vesicæ hæmorrhoides. Rarissime quidem salutare obseruatæ fuerunt, vti eiusmodi casum *salutarium hæmorrhoidum vesicæ* sub nomine miætus cruenti commemorant *A. N. C. Cent. I. App. obs. 23*. Idem obseruauit HOFFMANNVS noster, *Vidimus nos*, in-
 „quiens, talem criticam miætionem liberaliorem
 „(per vesicam) in viris, sanguine abundantibus, siue
 „plethoricis, iuuenilis vel etiam senilis ætatis, suppresso,
 „vel etiam penitus cessante hæmorrhoidali fluxu,
 „aut consueta omiſsa sanguinis missione, *periculi ta-*
 „*men prorsus expertem* l. §. XI. cit. p. 134. Si leniores hæmorrhoides vesicæ tempestiue excipit fluxus hæmorrhoidalis, haud mali auspicii sunt. Deinde aliqualem tantum, & iusto minorem sanguinis quantitatem natura eliminare potest, ita vt in generica tantum salubritate acquiescere cogatur. Præterea hæ insolitæ viæ anomaliis, ataxiis accensendi sunt, eo ipso in vltiores hereroclitos effectus valde procliuos obseruantur. Porro sub tali vicario hæmorrhoidum actu, motibus eluctatoriis in insolita via applici-

plicitis, natura ordinario & legitimo excretionis loco defuescit, insolitis viis pertinaciter inhærendo. Adhuc porro hæ insolitæ hæmorrhoidum viæ valde inconstantes sunt, cum ex legitimo loco succedens hæmorrhoidum profluuium maiorem constantiam promittat. Quo frequentiores recurrunt, eo insolentiorum sub quouis recurſu induunt faciem. Si in excessum ruunt, quod non quidem raro fit, mali ominis sunt; si febris accedit, mali præſagii sunt. Si vel peruerſe tractantur, aut adstringentium, stypticorum vsu ſupprimuntur, tunc multa miseros expectant mala; facile nimirum adfectus atrophici, hectici, hydropici, oedematosi, apoplectici, hemiplectici, arthritici, arthritico - rheumatici, dolores coxendicum, ischuria lethalis, inflammationes, exulcerationes, imo sphacelosa vesicæ corruptiones superueniunt. Immoderatus se gerunt, si ægri antea largum hæmorrhoidum fluxum experti fuerint; aut si spissum in venis alunt sanguinem, vt fit in sanguineo-melancholicis, aut si malum sit hæreditarium. Si vasa sphincteris sanguinea sanguine turgent, aut sanguis congrumescens intra sphincterem impactus hæret, urinæ suppressionem producent. In feminis mitioris sunt indolis, cum ob menstruam plethoram, motuum hæmorrhagicorum negotio magis adſuetæ sint. Ex quibus constare potest, quam multum periculi hæ insolitæ hæmorrhoidum viæ alant; quam caurus sit Medicus in prædicendo, nè artis auctoritatem, sui que famam lædat.

§. XVI.

Præuisa physiologico - anatomico - pathologica commendatione deuoolor nunc ad huius fontici adfectus *curationem*.

§. XVII.

Omne curationis punctum absoluunt 1) *facienda*; 2) *fugienda*.

§. XVIII.

Quod 1) ad *facienda* attinet, exacte causarum habenda ratio est. Cum itaque hæmorrhoides vesicæ natales suos mutuentur ab hæmorrhoidibus imminutis, præsertim suppressis, plethora conspirante, prima salutis spes in *venæsectione* reponenda est. Et cum hic sermo sit de venæsectione curatorie administranda, hinc vena in brachio tundatur, & sanguis vena secta mittendi quantitas ad subiecti vires, & sanguinis redundantiam dimetiatur. Præterea in principio instituat, & adueto. Præseruatiua autem venæ sectio in pedibus semper fiat necesse est. Vid. §. XXVIII.

§. XIX.

Venæsectione præmissa, *negotii hæmorrhoidalis ratio habeatur*. Si æger antehac hæmorrhoides fluentes expertus fuerit, tunc earum reuocatio tentanda, aut hirudinum applicatio commoda est. Sic SCHENCKIVS casum *de sanguinis mictu hæmorrhoidum aperture curato*, recenset *Libr. 3. obs. 7. vid. BALLON. paradigm. 71. RIVERIVS L. 14. cap. 4.* Si vero æger molimina tantum hæmorrhoidalia senserit, minus fidum tentamen est.

§. XX.

§. XX.

Aluus aperta seruetur. Alui enim obstructio, & fecum aluinarum retentio vberi flatuum prouentui, & spasms intestinorum excitandis fauent, quibus æqualis sanguinis circulatio præpeditur. Huic itaque obtinendo fini optime inseruiunt *clementioris indolis euucuantia*, vt sunt *rhabarbarina*, *passula corinthiaca* *solutione rhabarbari laxatiua* redditæ, *puluis rhabarbari cum cremore tartari remixtus*; vel optime etiam commodat *clysterum emollientium, oleosorum, lenientium vsus.*

§. XXI.

Et cum in nostro malo *motus congestorio-spastico-excretorii interscena sua ludant*, ad eos *conspiciendos* in vsum trahat Medicus *lenientia*, vt sunt *emulsiones, uscula gallinacea, decocta mucilaginosæ, v. g. decoctum C. C. decoctum scorzonerae*; vel *gelatinae, infusa calida*; vel etiam *cereuisiarum tenuiorum*, quibus *tinctura rosarum, florum bellidis cum spiritu virioli parata*, aut *clyssus antimonii instillanda* sunt, *potus bene commodus est*; & *temperantia*, quæ inter primas tenent *nitrosa cum absorbentibus mixta.*

§. XXII.

Si vero indomita mali indoles his cedere renuat, ad paulo *efficaciora* progrediendum est, nimirum ad *tonica, & selecta sedatiua*. In censum talium tonicorum veniunt *croci martiales cum temperantibus martandis*, vt sunt *crocus martialis antimonii* STAHLII, *tinctura martis, & coralliorum*; it. *species de hyacintho*. In *sedatiuorum vsu* prudens selectus habeatur. Conceditur nimirum, præmissis iamiam prioribus,

C 3

emulsio

emulsio sem. papau. alb. cum cinnabari mixta; it. Mass. pil. de Cynoglossa; Tinctura chaccarilla, quæ cum essentia succini, & corticum aurantium propinari potest; vel Extract. chaccarilla cum corallis rubris præparatum.

§. XXIII.

Ob curationis felicitatem & celeritatem multum fiduciæ in *specificis* reponunt. Sicuti vero, secundum specificorum doctrinam, & tempus ea propinandi, & modus utendi exacte obseruanda sunt: ita *antisepticos* statim in primis initiis in usum trahuntur. Si vero eorum usum antecedunt *primarum viarum depuratio, temperantium usus, suumque alius faciat officium*, tunc desideratorem spondent effectum. Commendatur *essentia millefolii*, nec non *succus & decoctum urticae*. Alii laudant *equisetum, hederam terrestrem, polygonum*, seu centumnodiam, *virgam auream GESNERI*, s. consolidam saracenicam, quæ species in *forma decocti*, addito *cortice citri, aurantium, cinnamomi*, propinentur.

§. XXIV.

Topica quoque in subsidium vocare haud poenitebit. Veteribus iamiam *unguentum comitisse* innotuit, sed cautissimus sit illius usus; cum enim e potentibus confectum sit adstringentibus, in statu morbi ab eo abstinendum. Commendari etiam meretur secundum HOFFMANNVM nostrum *emplastrum spermatis ranarum, cum alumine*, vel *saccharo Saturni, & pauxillo camphoræ* mixtum. Non contemnendæ virtutis sunt *pediluvia, frictiones regionum*
infe-

inferiorum, cucurbitularum cacarum appositio. Interim negandum non est, quod practicum monitu, magis fida sit topicorum applicatio, si *impetus resederint*; quare etiam tunc *fomenta & cataplasmata e neruinis, resoluentibus, & leniter adstringentibus, s. tonicis speciebus* parata laudabiliores operas præstare solent.

§. XXV.

Declinante malo circa finem curationis subiungi possunt partim *tonica*, vt futurus humorum decubitus præcindatur, cui fini respondet *mixtura e spiritu volatili & tinctura antimonii tartarisata* parata. Partim *abstergentia, balsamica.* Cum enim non raro fiat, vt tractus congrumati sanguinis intra sphaeram vesicæ obhærescant, & exiturienti sanguini & urinæ exitum præcludant, vel granulæ remaneant in putrilagine fatiscantes, hinc huic fini satisfaciunt *pilulæ balsamicæ STAHLII, vel HOFFMANNI, vel IVNCKERI.* Imo secundum præscriptum *Hoffmanni, syringa iniectio aquæ tepidæ in vethram & vesicam* tentetur, vt hac ratione congrumatus sanguis, vel alia acris & viscida simul adhærens materia diluatur, dissoluatur, sanguinique exituro via expediatur.

§. XXVI.

2) *Fugienda* circa huius adfectus curationem sunt sequentia: Axioma generale est: Omnia, quæ humores commouent, & instar succendiculi sanguinem ad ebullitionem iam adsurgentem, accendunt, exulent, hinc angue peius spirituosæ, oleosæ, terebinthinatæ, sulphuratæ, iuniperinæ, salinæ, diuretica positiua

litium euitanda; porro potentes catotericæ euacuatio-
nes, quippe quæ omnia humores commouendo, &
vias vrinarias stimulando, camino oleum addunt.
Damnatur præsertim fortium adstringentium aduer-
sus hæmorrhagias commendari suëtorum, vt dentis
hippopotami, manati, priapi ceti, & specificorum, vt
& sympatheticorum præmaturus vsus, quæ omnia
repentinas suppressiones inducendo, variis pericu-
losis consecutionibus, *vid. §. XV.* ansam præbent.
Consultius est, manum abstinere a specificis, sym-
patheticis, nisi vrgente necessitate. Inter reproba
censetur corporis motus. Licet in variis, & pluri-
mis morbis chronicis debellandis multum præsidii in
motu corporis situm sit, tamen res aliter se habet in
excretionibus sanguineis, quæ per vrinarias vias
contingunt. Præsertim equitatio, imo vectio per
salebrosa loca damnosa deprehenditur; motus enim
succussatorius huic motus speciei adsocius, & singu-
lariter partem adfectam cum connexis adficiens, ma-
lum nostrum fouere, & exacerbare solet.

§. XXVII.

Supereft *dicta*. Valet & hic axioma illud ge-
nerale: Omnia, quæ sanguinem in maiorem mo-
tum percire valent, omni studio fugiantur. Hinc
exulenter patheticæ animi commotiones, præsertim
ira, terror, immodica desideria; sed animus sit quie-
tus. Commendatur a venere abstinencia. Caueat
sibi æger a diætâ aromatica, & esu aliorum, cepa-
rum, radicum illarum edulium, vt apii hortensis,
f. petroselini, apii hortensis latifolii dulcis, sellery di-
cti, pastinacæ, asparagi, sed *ῥοζομας*, & temperationis
indolis

indolis cibus vescatur. Abstineat a vini, & cereuisiarum crassiorum, acidarum, diureticarum potu; comoda contra est vel cereuisia tenuis; aut pro potu ordinario vtatur decocto cerasorum exsiccatorem ab *Hoffmanno* nostro commendato, aut decocto ex radicibus chinæ, sarsaparillæ, glycirrhizæ, ligno santalo rubro & citrino parato.

§. XXXIX.

Plurimum sub diætâ §. præc. commendatorum etiam *scopo præseruatorio* habenda ratio est. Præsidia adhuc alia, sese ab hoc malo præseruandi, sicque recidiuas auertendi, breuibus indicasse sufficiat. Venæ sectio utilis æque ac necessaria est, trinis, imo pro re nata, quaternis vicibus per annum instituenda, & quidem in pede. Post venæ sectionem præmissam, hirudinum applicatio locum inuenit, sed in aptis subiectis. Deinde eo respiciatur, vt omnium excretionum successus conseruetur, præsertim euitentur ea, quæ saluberrimam illam excretionem, periphericam nimirum, cohibere valent. Non minus aliud semper libera seruanda. Interponi interdum possunt pilulæ, §o. XXV. laudatæ, & quidem præseruandi quoque scopo. Ad motum corporis quod attinet, est ille ad eundem finem, si modo temperatus, omnium commendatissimus.

TANTVM

D

VIRO

VIRO
PRAECLARO ET EGREGIE DOCTO
DOMINO CANDIDATO
GODOFREDO GVILHELMO
HAGEN
MVL TAM PRECATVR FELICITATEM
PRAESES.

Ad modum mihi placet, CANDIDATE doctissime, dissertationis TVAE argumentum: sicut enim ipse morbus, de quo exponis, insignes cruciatus habet comites; ita circumspicte omnino doces, qua methodo quibusque remediis istae adflictiones secure demulceri possint. Anceps sane haereo, num colicae, an vero dysuriae haemorrhoidali plurimos dolores tribuere liceat: & egrotantes, qui viramque calamitatem, vicibus puta alternis, multum ac diu experti sunt, si hac in re consulimus, pari ratione dubii respondent. Quis igitur thema istud non iudicabit fructuosum, quod viam aperit & certam & securam, qua anxia suspiria & trepidi clamores, paucis plerumque horis, placari solent. Certe, CANDIDATE clarissime, gratulor TIBI & vere gratulor, quod materiam adeo dignam, non ubiuis satis adhuc cognitam, bona felicitate elegeris, & certus confido, TE TVOSQUE egrotantes futuris annis experturos esse, quod tempus in elaborando hoc themate bene postum fuerit & collocatum. Ceterum gratulor TIBI quoque honores doctorales & theoriae & praxi medicae laudabili diligentia incubuisti.

Vale. D. d. XXI. Sept. MDCC XLVII.

MO

octis
sicut
cru-
doles,
ecure
a, an
buere
z, vi-
li hac
Quis
viam
ia &
ri so-
r TI-
nam,
elegi-
futu-
ando
Cate-
quos
eorie
sti.

ULB Halle

3

000 911 95X





42.29573

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**HAEMORRHOIDIBVS
VESICAE**

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO,
ET CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSI
ORDINIS MEDICI,

PRÆSIDE,

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, ATQVE EXPERIENTISSIMO

N. JOANNE IYNCKERO,

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBL. ORD. PRACTICO ORPHANOTROPH. ET PAEDA-
GOGII REGII FELICISSIMO,

FAVTORE PRAECEPTORE,
OMNI DEBITO AC RELIGIOSO PIETATIS CVLTV
AD CINERES DEVENERANDO,

PRO GRADV DOCTORIS,

SVMMSQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS,

AD DIEM XXIII. SEPT. MDCCXLVII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR RESPONDENS

GODOFREDVS GVILHELMVS HAGEN

BILEFELDA-GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.

*Libr. XXVIII / 2586
Firmolacu*

